



## Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

15. Dies Januarii. O sancta Anima sola esto, ut soli omnium te serves,  
quem ex omnibus elegisti. Bern. serm. 40. in Cant.

---

---

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

## 15. DIES JANUARI.

O sancta Anima sola esto, ut soli omnium  
te serves, quem ex omnibus elegisti.

*Bern. serm. 40, in Cant.*

Solitu- I.  
dinis de-  
litiæ.

**U**T sola Anima soli Deo vacet,  
atque ita fugiendo hominum  
contubernium, cum illo solo  
habeat commercium, scire re-  
fert ad quem se locum conferet. Gemina est solitudo,  
altera exterior corporis, altera interior Animi. Utraq;  
conjuncta, mirificè tibi conducet. Ut priorem eligas,  
consultit D. Hieronymus. (a) *Eligatur tibi opportunus,  
& aliquantulum à familia strepitu remotus locus, in  
quem tu, velut in portum, quasi ex multa tempestate cu-  
varum, te recipias, & excitatos foris cogitationum flu-  
ctus, secreti tranquillitate componas.* Hic locus sit in ur-  
be domi tuæ, vel apud Ascetas in abdito recessu, vel  
extra urbem, ubi est secretio à populi consuetudine,  
& inanium rerum agitatione, ubi animus à tumultu  
communium curarum sevocetur: ubi non amica,  
non amicus, non vadimonium, non usura, non de-  
positum, non lucellum, non rostra, non balneum,  
non taberna, non porticus in urbe devinciunt. Po-  
tes tali frui solitudine, etiam in populosa civitate,  
qualem sibi fabricata est Judith. De qua ita sacri  
annales. (b) *In superioribus domus suæ fecit sibi secre-  
tum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa moraba-  
tur.* Ecce hic, nullo quæstu, nullo labore non tam

¶ 3.

quasi-

(a) 2. l. Ep. 20. (b) Judith. 8.

quæsitum, quàm inventum solitudinis locum, Judith non extra urbis pomeria, intra eremi antra, solitudinem quærit, sed domi suæ recipit, sed domi suæ reperit: non desertâ hominum frequentiam petit salutus & res qua, ut sit sola, sed in suo domicilio, garrulas inter ancillarum ineptias, in ipsa accedentium & recedentium turba, ab omni sejuncta strepitu, solâ rerum arbitris vacat.

II. Non est igitur ut sis solus, excusationi locus, quia ubique est solitudini locus. Altera est solitudo non loci, sed animi, non montium, sed mentium, non eremi, sed cordis. Non te ab hominibus sejungas, sed cum Deo conjungas: non recessus ab urbibus, sed accessus ad cælum, attentâ meditatione faciet te solitarium. (a) *In populosâ urbe, amor artifex solitudinem reperit.* Nullum vitæ genus est adeò negotiis addictum, adeò curis implicitum, adeò solitudinibus implicatum, in quo solitudo animi, mentisque secessus nequeat reperiri. Quare si quæ necessitas te cogat hominum cætus frequentare, solitudinem in populo, atque in medio tempestatis portum tibi constare discas, artificio non omnibus noto, imperando sensibus, ut quod sentiunt, non sentiant. Quare in turba, itinere, conviviiis etiam, sibi faciat cogitatio secretum. Aliàs nullus locus semotus à strepitu proderit, si non sit animus liber ab affectuum fremitu, ad stipulante mihi Seneca. (b) *Quid prodest totius regionis silentium, si affectus fremant?* Nulla nec in solitudine ipsa, est solitudo, si Amor, & odium inter se rixentur, si Avaritia, & Invidia altercentur, si Spes, & timor gladiantur.

III. Sed

(a) *Petr. Dam. lib. 8. Epist. 14.* (b) *Epist. 61.*

III. Sed tamen, ut bene sit utrique homini, utraque procuranda est solitudo; loci, & Animi, exterior corporis, interior spiritus. Nam in illâ solitudine res geritur intus magna; ut nimirum sis magnus coram Deo & hominibus: ideò segrega te à consortio hominum. Signum est animi humiliter abjecti, & humili repentis, quàm minimum secum agere, secretum edisse, eminere foras, cœtus hominum nullo honesto sine celebrare, & imperitæ multitudinis consuetudine delectari. Capta igitur pium secessum, & à turba, atque inanium rerum agitatione solitudinem: & secretus à populis, conquire hujus sublimis Philosophiæ, qua incipias esse tuus, qui instruat Magistrum. Audi monitum aureum Synesii Antistitis. *Quid si hominem nactus fueris, qui strenuè, ac utiliter philosophetur, ad eum investigandum & Græciam & Barbarorum oras peragrarè minimè reprehendendum fuerit.* Non tantum exigitur à te pro tranquillitate tuæ conscientiæ, quantum is exigebat pro acquisitione vanæ scientiæ. Non opus est ut juxta divina placita utiliter philosopheris, ad remota loca peregrineris. Quot sunt in urbe alceteria, tot sunt hujus cœlestis Philosophiæ gymnasia. Non pudeat te, quæ ad salutem conducant discere, quæ ab ea deducant, dediscere. Recte enim Poeta.

*Discat qui nescit, nam sic sapientia crescit.*